
Sowiński Christophori: Quaestio physica de concursu causae primae cum secundis.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0004938

QVÆSTIO PHYSICA.



DE Concursu Causæ Primæ cum Secundis,

Sub Felicissimis Auspicijs,

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS,

& ADMODVM REVERENDI DOMINI,

D. ALBERTI ŁANCVCKI

I.V. DOCTORIS ET PROFESSORIS,

Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis CANONICI *Electi, Collegiatarum Pilecensis Archidiaconi, SS. Omnium Cancellarij, S. Michaelis in Arce Cracouiensi Canonici, S. R. M. Secretarij,*

VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS, GENERALIS, ET VIGILANTISSIMI

RECTORIS,

A

M. CHRISTOPHORO SOWINSKI

Philosophiæ Doctore & Professore, Contubernij Philosoph. Seniore,

Publicè ad disputandum,

IN PERAVGVSTO D.D. THEOLOGORVM LECTORIO,

PROPOSITA.

Anno Domini 1674 Die 25. Ianuarii. Horâ 15.

CRACOVIÆ,

Apud M. IACOBUM MOŚCICKI S.R.M. Typ.

QVÆSTIO.

V. Cauſa Prima præter eſſe dans operari Cauſis Secundis, non ſolùm immediatè ſimul ad actiones illarum & effectus; ſed etiam præuiè ad ipſas, ſaluâ Liberarum actione, concurrat, nec ne.

CONCLVSIO I.

Cauſa Prima præter eſſe dat operari Cauſis Secundis.

COROLLARIA.

1. *Errant, qui arbitrantur omnia iuxta ordinationem Cauſæ Primæ à Cauſis Secundis fieri, Cauſam verò Primam nihil operari.*
2. *Licet Cauſæ Secundæ tam in eſſendo, quàm in operando dependeant à Cauſa Prima; habent tamen ab intrinſeco vim operandi & principia, quibus conſtituuntur habitualiter ad operandum.*
3. *Principium elicitivum operationis propriæ in Cauſis Secundis, eſt ſumma perfectio à DEO communicata, & non ſimplex ac merum inſtrumentum.*
4. *Operari Cauſarum Secundarum terminis potentiæ Naturalis & obedientialis, ratione cuius per potentiam Cauſæ Primæ ad omne non inuoluens contradictionem eleuatur, circumſcribitur.*
5. *Ideò Creatura non poteſt aſſumi à DEO ad creandum, vt inſtrumentum Phyſicum, niſi vt morale.*

CONCLVSIO II.

Cauſa Prima ſimul & inmediatè concurrit ad actiones & effectus cum Cauſis ſecundis.

COROLLARIA.

1. *Nullum agens creatum ſine actuali Cauſæ Primæ influxu, poteſt in actum ſecundum prorumpere.*

2. Con-

2. *Concursus simultaneus Causæ Primæ, nihil aliud est, quàm ipsamet actio Causæ secundæ, quæ prout est à Causa Prima, dicitur concursus Causæ Primæ, prout à Causa secunda, dicitur concursus Causæ Secundæ.*
3. *In hoc vtroq; concursu nulla partialitas tam ex parte Causæ, vel actionis, quàm ex parte effectûs, admitti potest.*
4. *Vno concursu ex dictis cessante, ex vi alterius præcisè non potest poni actio, vel effectus.*
5. *Ad actiones & effectus Causarum Secundarum concurrit Causa Prima non solùm immediatione virtutis; sed etiam suppositi,*

CONCLVSIO III.

Præter id, quòd Causa Prima immediatè simul ad actiones Causarum secundarum & effectus concurrat; etiam præuiè concurrit ad ipsas.

COROLLARIA

1. *Concursus Causæ Primæ conseruans Causas Secundas suis connaturalibus virtutibus ornatas, non sufficit ad actualiter operandum.*
2. *Concursus iste præuius non est motio Moralis aut Sympathia; sed vera & realis qualitas ipsis Causis secundis, priùs naturâ quàm operentur, per modum transeuntis, impressa.*
3. *Hæc prædeterminatio, ita est necessaria, vt sine illa Causarum secundarum subordinatio in ratione principij actualis operationis illarum, non possit adæquari.*
4. *Concursus præuius non solùm Causis Necessarijs & Contingentibus; verùm etiam Liberis est necessarius.*
5. *Præter Causam Primam, etiam Causæ secundæ vniuersales mouent Causas inferiores ad operandum.*

CONCLVSIO IV.

Concursus præuius determinans efficaciter & infallibiliter Causas Liberas ad operandum, saluam facit illarum actionem.

COROLLARIA

1. *De ratione Libertatis non est indifferentia merè potentialis aut priuatiua, sed solùm actualis.*

2. Et

2. *Et concursus iste attingit nedùm substantiam actûs, sed etiam modum ipsius, ita ut liberè, non necessariò voluntas operetur.*
3. *Unde quamuis præmota habeat simultatem potentiæ ad actus oppositos, non tamen habet potentiam simultatis, id est, habendi simul huiusmodi actus; quod idem est, ac posse illam in sensu diuiso, seu potentia antecedenti dissentire, non autem in sensu composito, seu potentia consequenti.*
4. *Causa libera si Præmouetur ad materiale peccati seu substratum malitiæ, non tamen ad ipsum formale, seu ad malitiam, quæ est defectus potius, quam effectus.*
5. *Supernaturalia hic, ut potè de Gratia & alijs, Theologis relinquimus, ut Thesi nostræ correspondeamus.*

Ad Maiorem Dei Gloriam Beatæ Mariæ Virginis Honorem.

PERMISSU MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS.



